EXERCITATIONES PHILOSOPHICÆ DUÆ

DE ANGELORUM MALORUM POTENTIA IN CORPORA.

Autore

TOBIA ANDREÆ,

Medicinæ & Philosophiæ Doctore & Professore quondam magni nominis.



AMSTELODAMI,

Apud SAMUELEM EICKENBERGIUM.

MDCXCI.

LECTURO, S.


Em publico nec ingratam nec inutilem nos facturos, visum est, si hasce de operationibus Dæmonum dissertationes secunda vice in publicum edi accuraremus. Fervet hoc tempore, occasione libri cujusdam belgice à viro docto conscripti, hæc quæstio. Eo de libro arbitrari nostri judicii res haut est. Has tantum tecum communicamus dissertationes, idque duplici potissimum nomine, cum ut eædem fili sint tibi loco, quo errabunda vestigia regas, quodque in ipsa adyta hujus litis te ducat, tum maxime ut constet, quam longe Philosophiæ Cartesianæ Στοιχεῖα remota sint à fundamentis, quibus suum ædificium libri Belgici autor superstruit, & quam iniqui rerum arbitri sint ii, qui in triviis, in compitis, & ubi non, imperito vulgo persuadere

ſummo nituntur opere, Scriptoris Belgici ſententiam ex Philoſophia Carteſiana pullulare, quum ejus philoſophiæ ſemina plane in conrarium ducant, ac δὶς διὰ πασῶν ab illa differant. Autor harum exercitationum eſt D. Tobias Andreæ, Medicinæ & Philoſophiæ Doctor, utriusqne facultatis primum Tuiscoburgi ad Rhenum, exinde Francofurti ad Viadrum, tum in illuſtri Gymnaſio Sylvaducenſi, denique Franequeræ, ubi & diem ſuum obiit, ProfeſſorCeleberimus, à quo plura ſubacti ingenii, & judicii acerrimi, quo valebat, haberes monimenta, ſi longioris vitæ uſura ipſi frui, datum fuiſſet. Adjecimus nonnulla his affinia, ex ſcriptis Wittichii, qui ſparſit, & nomen toto ſparget in orbe ſuum, tralatitie excerpta. Quibus plura addi poſſent, niſi hæc ſufficere perſuaſi eſſemus. Vale & his fruere nobiscum.

PRÆ-

PRÆFATIO AUTORIS.

ARDUUM *ſatis eſſe* , *non hiſtoricé* , *ſed methodo veré Philoſophica* , de vi & potentia Angelorum in corpora *tractare*, *per quàm notum eſt illi* , *qui vaſtum Philoſophiæ Oceanum longiùs ingreſſi ſunt*; *norunt enim*, *quòd demum hoc trajecto de hac materia pro dignitate agi poſſit*. *Quapropter* , *ne quis putet*, *me ſcribendi cacöethe aut ingenij quodam pruritu ad tam ſublimem materiam publicé ventilandam abreptum eſſe* , *permitte*, *Lector Benevole*, *in limine te ut paucis morer*, *quò rationem*, *quæ me ad hoc exercitium invitavit* , *cognoſcas*. *Annus jam vertitur ſeptimus* , *quo in Belgio hærens*, *inter amicos quoſdam quæſtionem hanc ventilari audiverim* , an ſolo Naturæ lumine probari poſſit Angelos, ceu bonos, ceu malos, dari. *Poſtquam de ea pro & contra diu diſputatum fuit*, & *res in ſuſpen-*

ſo quaſi relicta, ſeriùs cogitare de ea incepi, & quia ſolito tum ocioſior eram, hac occaſione excitatus, illam quæſtionem accuratiùs examinare coepi: Et quidem eouſque me eam penetrâſſe mihi videbar, quòd quidem facile mihi eſſet à priore demonſtrare, eorum poſſibilitatem, ſeu quod non repugnet Angelos dari, *at non, niſi à poſteriore, & quidem illis ſaltem, qui non pertinaciter omnem omnibus hiſtoriis fidem derogant,* quòd ſint: *Imò ad rem perveniens experiebar, nec hoc modo poſſe ſatis dilucidè probari, Angelos bonos dari, at ſolùm malos. Rudes igitur quos de hac materia habui conceptus, ita uti ſub manu naſcebantur, in chartam raptim conjicere incepi, at à continuatione ipſorum, tædium, quod oritur ex contemplatione objecti illius odioſiſſimi, quod Mens noſtra non diſtinctè, niſi cum horrore conſiderare poteſt (quapropter voluntas ſe ſtatim ab illo ſe jungit, hoc eſt, odio habet, & ab ejus contemplatione citò*

rece-

recedit) removit, ut ad finem omnia quæ tractanda proposueram non deduxerim. Imò nunquam animum inducere potui, ut ad incudem & exactiorem limam priores conceptus revocarem, multò minus ut publicâ luce donarem: Præsertim cum præter hoc considerarem, quòd, etsi accuraté satis priores conceptus examinâssem, paucissimi tamen futuri essent, qui de eis æquum judicium ferrent, quià cognitionem totius Philosophiæ & Medicinæ non superficiariam præsupponunt. Quod quidem primo intuitu mirum videri multis videbitur, cùm putent experientiâ satis constare, quam vim & potentiam Angeli in corpora habent; At cùm eo perventum erit, ut non quæratur ampliùs an habeant, sed quomodo explicent, postulatum hoc iniquum esse non dicent; Et continuâssem firmiter in eodem proposito, nec vel minimam partem horum examini novo subjecissem, & publici juris fecissem, nisi me instantes petitiones GENEROSI & PRÆ-

NOBILIS Dn. de DIETZ & DIETZENSTEIN. Amici & Condomeſtici exoptatiſſimi ad hoc induxiſſent. Cùm enim curioſiſſimus ſit in obſervationibus rarioribus, quæ in Maximo Naturæ Theatro fiunt, contemplandis & inquirendis, atque hoc tempore in vicino Comitatu Meurſenſi mirabile ſe exemplum exhibuerit Genii cujuſdam cum hominibus loquentis, variaque mira facientis, quæ omnes ſtupent; Interimque laudatus **DOMINUS** *ex tractatu de Paſſionibus Animæ, (quem Philoſophorum Princeps RENAT. CARTESIUS literato orbi reliquit, cujuſque explicationem in privato Collegio circa idem tempus ſuſcepi.) ſatis animadverteret, poſſe juxta illa, quæ de conjunctione mentis noſtræ cum corpore noſtro demonſtravi, multa quoque de conjunctione mentium aliarum, & ita mali Genii, cum corporibus diverſis, ſumme probabilia dici, petiit, ut, quos apud me in ſchedis diſperſos viderat, de hac materia conceptus*

ceptus meos reassumerem, & saltem aliquos eorum in ordinem redigerem. Amicæ, igitur petitioni locum concedens, constitui Exercitatione una aut alterâ publicâ experiri, quid in novo hoc studii genere valeam, ut placido doctorum examini conceptus meos subjiciens vel occasionem habeam eos ulteriùs perpoliendi & latiùs deducendi, aut immutandi, vel corrigendi; vel in eo statu in quo sunt relinquendi; vel saltem excellentia ingenia incitandi, ut curiosiùs hanc materiam pertractent. Hoc enim præcipué fine eos publici juris facio. Ut autem meliùs hoc fiat, quamvis integram Philosophiam præsupponi debere innuerim, tamen quædam generaliora de Mente & corpore præmittenda erunt, ut ex iis particulariora commodiùs explicentur. Et de Mente quidem nostra præcipué, quia de illa non ita quilibet cogitat, at de corporibus, se plus quàm de mentibus cognoscere, quilibet sibi præsumit. Hæc igitur sequentia sunto.

EXERCITATIONUM PHYSICARUM.

DE

Potentia Angelorum Malorum in Corpora.

I.

CAPUT I.

De Mentium Finitarum Potentia, quam in CORPORA exercent in genere.



UI naturam Mentis corporisque distinctè ex prima Philosophia cognovit, non inficias ibit, quòd nec de mentis essentia sit, corpori cuidam, nec de corporis essentia, ut cuidam Menti jungatur, quippe utriusque essentia toto, quod ajunt, cælo differt. Quòd si igitur Mens quædam corpori conjungi debet, perinde est an magno vel parvo, subtili, crasso, fluido, molli, raro, duro; quadrato, rotundo; moto, quiescenti; imò multis corpori-

ribus

ribus simul, aut uni; & sic porro, jungatur. Et viceversâ, si corpus Menti cuidam jungendum sit, aequé cum mala, quàm bona; perfectiori quàm imperfectâ; innumeris quàm unâ, conjungi potest.

II.

Conjunctionem autem hanc nullo modo fieri per ullum contactum: quo veluti magnes & ferrum sibi invicem adhærent; aut se succina pulcra maritant; aut etiam spiritus, omnes per artus & membra corporis diffusus, eique mixtus est, quatenus omnes eorum poros permeat; aut ullo alio modo conjunctionis corporeæ conceptibili, quo corpora ex duobus fiunt unum, hoc itidem ex naturâ Mentis perceptâ æqué constare suppono. Quippe mens nec superficiem habet, juxta quam ille contactus fieri deberet. Sed illa conjunctio unicé consistit in operatione, quam aut hæ duæ substantiæ diversæ in se invicem mutuò habere possunt, aut solum mens in corpus illud, cui se jungit; uti nec implicat corpus quoddam solum in Mentem cui junctum est, agere posse. Atque in hoc unicé præsentia Mentium, aut esse hîc vel ibi, consistit.

III.

Non minus, ut probatum assumo,

quòd nulla Mens finita se pro suo arbitrio alicui corpori, multò minus cuivis jungere possit, sed hanc conjunctionem aut immediatè à Deo fieri, aut saltem ex Dei jussu, aut etiam ipsius conniventia.

IV.

Sic Mentem nostram corpori suo ab ipso Deo junctam esse, receptissima est sententia, in qua & nos acquiescimus. Ad minimum illam se corpori suo non pro suo arbitrio junxisse, ex illo liquere videtur, quòd aliàs etiam posset quotiescunque liberet ab eo se sejungere; iterumque ei se conjungere per ejusdem liberi arbitrii potestatem, quâ se primo ei conjunxit, cujus tamen contrarium conscientia quemlibet docet.

V.

Cùm igitur Mens nostra se indifferenter ad corpus, omnesque ejus affectiones (juxta thes. 1.) habeat, & ab ipso Deo immediatè corpori suo (juxta thes. seq.) jungatur, non potest non attendenti constare, quòd etiam ipsi perinde sit, quibus modis illi per corpus hoc vel illud quid significatur, sic ut omnes motus corporei, quibus afficitur, signa ipsi sint corporum extra illam consistentium, illamque afficientium, non formalia (uti in scholis loquun-

quuntur) ſed tantùm materialia, hoc eſt, nullo modo cum ipſis rebus convenientia, ſed ſolùm ipſi occaſionem, ut jam hæc, jam illa percipiat, præbentia; ac præcisé quidem illa ſolùm, quæ voluit ſignificari per illa hic, qui hoc mentis corporiſque conjugium pro ſuo arbitrio conſtituit, & inviolabile eſſe voluit, ſcilicet ipſe Deus. Non aliter uti campanarum ſonus, aut vexillorum varietas nullam convenientiam habens cum rebus, quas ſignificat, id ſolùm quod magiſtratus voluit per illa indicari, ſignificat, aut ſicuti vocabula fere omnia, quibus utimur ad conceptus noſtros exprimendos, talia ſigna ſunt, illud ſignificantia, quod vulgò aut cuicunque illorum inventori placuit illis ſignificare: ut v. gr. vox *Deus* ſeu ſcripta ſeu prolata, & infinitum illud Ens, quod per eam repræſentatur, nullo modo conveniunt.

VI.

Et hoc manifeſtiſſimé etiam nobis conſcientia dictat, quâ certi ſumus, quòd ver. gr. ille motus, qui nobis repræſentat lumen, hoc eſt, cujus occaſione Mens noſtra excitatur, ut percipiat ſeu cogitet de corpore lucido, tam neceſſariò illud repræſentet, ut non poſſimus pro noſtro beneplacito eam perce-

ceptionem immutare, ſic ut ejus loco v. gr. ſonum, aut muſicam, aut ſimile quid, percipiamus Idemque de omnibus omnino perceptionum ſpeciebus, quæ fiunt mediante corpore, veriſſimum eſt.

VII.

Imò, quod majus eſt, tam arctam & immediatam hanc Mentis noſtræ cum ſuo corpore Deus voluit eſſe copulam, ut quamdiu corpus quoad omnia bene diſpoſitum eſt, nec Mens per profundiſſimas meditationes ſe quaſi corpori ſuo ſubducit, non poſſit non omnes illos motus corporis, qui ſunt ſatis potentes ad nervos noſtros validé agitandos, percipere, uti id câdem conſcientiâ nobis conſtat. Nam ita non ſolùm perceptionem luminis mutare non poteſt (uti dictum) ſed nec illud non percipere cùm oculos intrat, quamdiu organa viſûs ſe bene habent, & Mens à corpore ſuo alienata non eſt. Ex quibus conſequitur quòd toties eadem perceptio in Mente noſtra neceſſariô exiſtat, quoties idem plane motus ipſi offertur.

VIII.

Loqnor ſolùm de motibus corporis, quia (ut alias rationes taceam) facilé probare poſſem, quód Mens noſtra

ſtra non à toto ſuo corpore immediatè afficiatur, ſed ab ipſo ſolùm, quod in illo fluidum & agitatum eſt, ac ob id ad varia menti repræſentanda aptum, & quale præcisè ſolùm judico eſſe ſpiritum animalem in ventriculis cerebri præſertim confluentem, qui nuncius quaſi eſt illorum omnium, quæ menti de ſuo aliiſque corporibus indicari debent, & inſtrumentum viceverſa, quo mens primò, vel immediatè & principaliter utitur, ſi quid in corpore efficere velit. Sed quia hoc nimis longum foret, ea quæ huc ſpectant, tanquam certa & ingeniosè explicata, ex tractatu incomparabilis Philoſophi *Renati Carteſii*, de paſſionibus animæ, & præſertim §. 13. 14. ſeqq. aſſumimus.

IX.

Nobis ad inſtitutum noſtrum aſſequendum ſufficiat in genere advertiſſe, primò, quòd pro omni diverſitate motûs Spirituum animalium à diverſâ eorum magnitudine, figurâ, ſoliditate &c. tum nervorum multivaria poſitione &c. pendente, infinitè diverſa repræſentamina, non autem immediatè ab organis ipſis imo ne quidem ab ipſis fibrillis nervorum, menti ſiſtuntur; uti inſomnia dormientium & vigilantium,

tium memoria quoque & vis imaginandi ſatis probant:

X.

Secundó, quód motus ſpirituum animalium nullo modo à mente, in quantum ſimpliciter motus, pendeat, ſeu ab ipſa producatur; non ſolum, tum quando menti per eas quid repræſentatur, ſed etiam cum per eos quid in corpore operatur; quia nulla mens finita corpus, quòd immotum eſt ſolo nutu voluntatis ſuæ in motum ponere, adeòque motum, qui non erat in rerum natura, producere poteſt, hoc enim ſolius Dei eſt. Sed omne id, quod mentes finitæ in corpore quodam efficere poſſunt, eo abſolvitur, quòd motus, quos in corporibus jam inveniunt; varie dirigere, eoque pacto infinitas rerum ſpecies efficere queunt.

XI.

Directio hæc motuum iſtorum etiam non aliter, quàm per nutum voluntatis fit, quandoquidem (juxta th. 1. & 2.) mentes nullum localem motum, quo corpora movere poſſent, in ſe habent, multò minus manus, pedes & corporeum quodcunque, quo agant. Neque hoc negari debet ob id, quia non aſſequimur modum, quo ſimplex nutus voluntatis in corpora agat, hoc enim

nec

nec de Deo, nec de mente noſtra nobis conſtat, de quibus tamen certiſſimum eſt, eos per contactum corporeum nihil agere. Et ſané abſurdum foret, negari illa, quæ claré diſtinčté jam à nobis perſpecta ſunt, propter ea quæ nondum percepimus.

XII.

Ex quibus denuo liquidé patet, quòd nulla mens finita quid ſupra vires Naturæ, multò minus contra leges Naturæ, materiæ, motibuſque à Deo ipſo poſitas, & juxta quas omnia in mundo fiunt, quaſque nulla creatura invertere poteſt, producere poſſit. Ac idcircò quicquid unquam mentes finitæ poſſunt corporibus varietatum inducere, hoc juxta illas leges fieri certum eſt, quamvis modus, quo fiat, ſæpiſſime nobis lateat. Quod ſané mirum non eſt, cum innumera ſint hominum opera, quæ rudiores, illorum cauſas nullo modo attingentes, præſtigia & artes Diabolicas eſſe dicerent.

XIII.

Sed ut ad rem ipſam deveniamus; quis dubitabit, quòd, ſi manifeſtâ experientiâ convicti fateri debeamus, quædam à mente aliqua finita facta eſſe, quæ noſtrum intellectum multis paraſangis ſuperant, illa hoc ipſo non ſo-
lùm

lum potentiâ, ſed etiam ſcientiâ mentem noſtram excellat? Sed an dentur *mentes quædam noſtrâ quidem intellectu & potentiâ multo majores, attamen finitæ; quæ ab omni mole corporea naturaliter ſint ſeparatæ, hoc eſt, quæ ab initio ſuæ creationis cum nullo corpore conjunctæ fuerint, cum quo ob immediatum talem nexum, qualis in homine eſt, unum quid compoſitum effecerint*, uno nomine, an dentur Angeli, ceu boni, ceu mali, ab illis omnibus, qui Sacram Scripturam aut parvi faciunt, aut ſaltem ejus ſenſum & loquendi de hiſce Geniis formam invertunt, aut ſaltem contradicendi ſtudio ſe oblectantes ipſum ſolùm Naturæ lumen ut arbitrum eligunt, interimque manifeſtam experientiam ab aliis relatam, non admittunt, in dubium trahi poteſt.

XIV.

Ne igitur cum his longiorem conflictum ineuntes nos detineamus, ad noſtrum inſtitutum ſufficit. 1. Quòd à priore facilé queat demonſtrari, ejuſmodi mentes innumeras, eaſque perfectionum gradibus innumeris diſcrepantes, potuiſſe creari. 2. quòd etiam illis qui omnem experientiam non negant, à poſteriore probari queat, reverà & actu malos Angelos dari.

XV. Sal-

XV.

Saltem jam sufficiat nobis, per nudam hypothesin assumere Angelos tam bonos quam malos esse. Et de malis in specie nobis propositum est hisce Exercitationibus tractare, ut quidnam ex *Dei* vel jussu, vel conniventia per corpora operari, & quo modo in illa potentiam suam exercere, multaque mira producere queant, quantum caligantis ingenii nostri acies assequi potest, scrutemur, quò vel hoc ipso, summa illorum impotentia, si nihil Deus eis permittat, manifesta fiat, & quàm parum metuendi sint illis, qui Deo suo constante fide arctissimé adhærent.

Cap. II.

DE ANGELORUM MALORUM NATURA.

I.

HIS igitur præmissis, quid nam per Angelum vel potiùs Genium malum intelligamus, primò videndum erit. Nimirum *Mentem finitam*, *ab omni*

cor-

corporis consortio naturaliter liberam; intellectûs acumine & præstantiâ, non minus voluntatis efficaciâ humanas Mentes longé superantem; at vice versa ejusdem voluntatis summa malitia, & perversitate; innumeris gradibus & modis inferiorem.

II.

Mentem dicimus esse, adeòque de illa omne id, quòd generaliter de omnibus mentibus finitis cap. præced. diximus affirmari etiam potest, quo pacto declinabimus præjudicium vulgatissimum, quo, sicuti omnes mentes, sic malum Genium non tantum ut spiritum corporeum imaginantur; sed ipsi etiam infinitas figuras monstrorum terrestrium, volatilium, aquatiliumque &c: affingunt. Saltem si sub forma hujus & illius substantiæ corporeæ appareat, hanc ad ejus naturam pertinere, sibi persuadent. Quin imò aliqui tam rudes sunt, ut omnino putent Angelos malos reverà certam aliquam formam monstrosam habere, in qua obambulent & circumeant totam terram, & per illud corpus monstrosum videre, audire, loqui, devorare, destruere, erigere: uno nomine, omnia agere posse, sicut nos per nostrum corpus; at solùm Dei benignitate

tate noſtros oculos quaſi teneri, ne illos videamus. Tales in papatu innumeros ſimplices invenies, quia hominibus miſellis purgatorii & gehennæ cruciatus per ejuſmodi monſtra obtruditur, & ad oculum dépingitur.

III.

Finitam quoque dicimus; ac ob id illi præſertim denegamus. 1. *Omniſcientiam*, ſic ut nec abſoluté intima noſtra cogitata ſcire poſſit, hoc enim ſolius Dei eſſe, quia noſtras Mentes omni momento reproducit, judicamus; nec etiam alia arcaniora, quæ in mundo ſunt fiuntque, ut hominum conſilia, & ſimilia; niſi Deus hæc illi aut revelet, aut permittat ex diverſis cirtcumſtantiis, quid homines cogitent au facturi ſint, concludere, idque vel totaliter, vel ſolùm ex parte; certò aut ſolùm probabiliter. 2. *Ubique-præſentiam*. Deus enim ſolùs omnia operatur in omnibus, at malus Genius extra ſe nihil & nullibi operatur, niſi aut juſſu aut conniventiâ Dei (juxta c. 1 §. 3.) Nullo enim alio modo præſentiam mentium, quàm per earum operationes concipi poſſe, ex dictis cap. præced liquidé. ſatis attendenti conſtabit. 3. *Omnipotentiam*, Deus enim ſolus exequitur illa quæ vult, &

eo

eo modo quo vult, Angelus verò malus non poteſt omne illud efficere, quod vult, ſed ſolùm, quod licet, & ipſi â Deo permittitur. Nam ſi contra hanc ſummam Majeſtatem Voluntatem & Potentiam quid efficere poſſet, non eſſet mens finita & dependens à Deo, ſed Deo major, quod eſt contradictorium.

IV.

Ex finita hac Genii hujus mali natura facilé igitur concludimus, quòd, ſi multi dentur tales Genii mali (uti innumeros dari poſſe quis dubitat?) gradus perfectionum inter illos quoque dari poſſint, adeòque eſſe magis vel minùs ſcientes & potentes, prout Deus uni plus intellectûs & potentiæ concedit, quâm aliis; imò ipſorum ſcientiam indies accreſcere. Nam ex hoc ſolo, quòd ut finitum quid concipimus, conſequitur neceſſariò fines ejus magis extendi vel contrahi poſſe; uti é contrario, quia in Deo nullus finis intelligibilis eſt, nec actu exiſtit, illi etiam nil addi, nil detrahi poteſt. Quid mirum igitur, ſi throni, Majeſtates &c. in S. S. nominentur?

V.

Porrò dicimus Mentem hanc eſſe *ab omni corporis conſortio liberam* & quidem

dem *naturaliter*. Hoc est, non solùm quòd nîl corporei, in ejus essentia inveniatur, sed etiam quod non à Natura, hoc est, ab ipso Deo sit juncta immediaté corpori alicui, uti nostra Mens, idque à primo ejus creationis suæ puncto, sic ut unum quid cum eo constituat; sed quòd Deus voluerit, ut ad ejus naturam pertineat ab omni corporis consortio esse liberam, & indifferentem ut jungatur cum quocunque, juxta illa, quæ cap. I. §. I. &c. dicta sunt.

VI.

Concedimus tamen, quòd *intellectus acumine & præstantia Mentes humanas longé superet*, hoc enim 1. ex ejus natura fluit, quia est ab omni corporis consortio libera. Nam plus quàm vellent experiuntur homines, qui ea, qua decet via in cognitione rerum progredi conantur, quantum hoc corporis consortium illis impedimentum afferat; quàm facilé à melioribus conceptibus per illud avocentur, quoties nos sensus fallant; quoties memoria destituat &c: sic ut fateri debeant, se à præjudiciis sensuum seductos, non potuisse scientiam solidam, quæ ultra nomina & quòd de rerum qualitatibus juxta sensum perceptiones dicitur, se

extendat, acquirere; hinc si cortice hoc relicto ipsam medullam attingere velint, debere mentem suam à corporis consortio quasi liberare, & solâ puri intellectus acie ad intimas rerum naturas penetrare. Experiuntur autem hoc corporis impedimentum maximé, cùm se supra illud, quod mundanum & corporeum est elevare, & vel Deum, vel mentem suam, vel æterna gaudia & similia, sicuti sunt, purâ mente concipere annituntur. 2. Huc multum facere potest, quòd non, uti mens nostra uni corpori solùm alligata est, sed successivé jam his, jam illis, imò multis simul se jungere possit. (juxta c. 1. th. 1.) 3 Nec minus, quòd, si concipiantur innumeræ Mentes tales, possint sibi invicem facillimé & citissimé omne quod sciunt, & quicquid de rebus quibuscunque ulteriùs addidicerunt, communicare. Hunc enim in finem non indigent voce, nec scripto, nec itinere & similibus adminiculis, quæ longum tempus requirunt, sed hæc sibi invicém communicant simplici revelatione suorum conceptuum; modo quidem nobis, hac in vita saltem, inconceptibili, attamen certò quia nil corporeum in iis agnoscimus (juxta th. 2. hujus) quamvis non videatur

deatur implicare, ut etiam adminiculis corporeis uti possint, uti de eo inferius quid attingemus. Sed cur uterentur, cùm meliùs id absque his possint? 4. Taceo, quòd jam a principio Mundi summa cupiditate flagrârint penetrandi in abditissima quæque Dei ejusque operum, nec ullam occasionem (ut sic loquar) elabi sinentes, tot seculorum spatio indefinita addiscere & experientiam diffusissimam acquirere potuerint. Hoc enim maximé earum interest, ad se suaque opera stabilienda.

VII.

Insuper ei, ipsique similibus Mentibus denegare non possumus *voluntatis* quoque *efficaciam* nostra *multò majorem*, ob eandem scil: causam, quòd non ut mentes nostræ uni corpori solum alligatæ sint, & in eo & per illud solum operari debeant, sed simplici nutu voluntatis (hoc enim & non alio modo Mentes extra se quid operari ex capit. I. §. 2. 10. disces) in quævis corpora agere possint, quia Deus Mentes has liberas, ut §. 5. hujus vidimus, reliquit. Ipsaque intellectus præstantia hîc plurimum adjuvat, uti notum est, quòd etiam homines, qui sunt ingeniosiores plura & admirabiliora in corpore suo, tùm mediante illo, in aliis cor-

poribus producere valeant. Saltem experientia manifesta hoc docet illos, qui illam admitunt.

VIII.

Vice versâ tamen hoc unico mentibus humanis *multò inferiorem esse*, asserimus, quòd *in ejus voluntate sit summa*, imò forsan nulli mortalium conceptibilis *malitia & perversitas*; quæ turpissima nigredo omnem reliquarum perfectionum splendorem tollit, facitque ut ob turpissimam (ut sic loquar) hanc turpidinem rerum omnium horribilissima & odio dignissima fiat. Perversitatem igitur hanc, cùm respectu intellectûs nostri indefinita esse videatur, mirum non est, quòd totaliter & propriis suis omnibusque indicijs particulatim describere non possimus; Imò licét possemus, operæ pretium hîc esse non judicaremus, ideôque sufficiat paucis turpissimam hanc quasi Bestiam depingere.

IX.

Concipimus igitur illam in hoc consistere, quòd etsi hic malus Genius clarissimé & distinctissimé cognoscat Summum illud Bonum, à quo creatus est, & omne quod perfectionis habet, absque ullo merito suo accepit, agnoscatque hoc ut verissimum; imò se teneri-

neri ob id illi Creatori & Patri ſuo ſe totum ad ejus laudes & officia cum omnibus tradere, & quantum in ſe eſt, ejus gloriam per reliquas creaturas etjam promovere &c. Uno nomine, Deum eſſe omnia in omnibus, & ad eum tanquam Summum Bonum omnia ſpectare, & referri debere, ſic ut ſimile huic nec quid ſit, nec eſſe poſſit &c; Quòd inquam, etſi hæc omnia diſtinctè cognoſcat, & ut veriſſima agnoſcat, attamen abjurato quaſi omni naturæ lumine, & propriâ conſcientiâ & judicio contradicenti, nihilominus ſe iſti Creatori ſuo ſubjicere noluerit, ſed rebellis factus, nullo impulſus corporis ſtimulo, nullâque vel tantillum probabili ratione, ſed ſimpliciter, quia voluit, ſimilem cum Deo gloriam impudentiſſimé & ſtultiſſimé affectârit. Hinc ingratiſſimorum ingratiſſimus & peſſimorum peſſimus redditus, à Deo rejectus, & ab ejus gratiâ æternûm excluſus reſipiſcere non poteſt; Quapropter deſperatione continuâ & morſu conſcientiæ incomprehenſibili nunquam non cruciatus, Dei & reliquarum Creaturarum odio infenſiſſimo flagrat, adeòque quicquid vitiorum concipi poteſt, loco Dei pro Summo Bono habet, ac omne quod ullo mo-

do contra Dei regnum & creaturarum reliquarum salutem efficere ipsi Deus concedit, summâ cum voluptate patrat; quia nil sibi convenientius & suâ indole dignius concipere potest.

X.

Talis igitur Genius malus, aut potius innumerabiles tales (quia probabile satis est ipso naturæ lumine, quód quemadodum in omni rebellione fit, multi defecerint, à Duce & authore illius factionis in consortium culpæ & solatium pœnæ contracti) tales, inquam, Genii mali, si igitur ponantur in rerum natura existere, quidnam in corpora & per corpora efficere valeant Deo ipsis libertatem concedente (juxta th. 3. c. 1.) indagandum erit.

Cap. III.

De potentia malorum Angelorum in corpora Generaliter.

Corpora quæ ministerio Diaboli inservire apta sunt, in genere quidem sunt omnia fluida, quia motum in se jam habent, extra quem nihil efficiet,

ciet, juxta C. I. §. 10. at præsertim ipsi inservit aër, unde meritò *Dominator in aëre* vel *Princeps aëris*, cujus nutui & arbitrio aër obtemperat, vocatur. Per aërem verò intelligimus id omne, quod in eo continetur, sic ut præter id, quod ad nativum aërem pertinet, etiam vapores & exhalationes multivariæ, & præsertim materia ignis & cœlestis illa, quæ lucis subjectum est, ad eum referatur. Nam quia mixtura hæc summé heterogenea est, tum subtilissima variisque motibus nunquam non agitata, ipsi præ aliis inservit ad scenas suas in infinitum variandas.

II.

Cùmque nullum particulare corpus in terra inveniatur, per quod non *vel* hæc omnis mixtura aëris transeat, *vel* quod in ea subtilius est, & præ aliis materia cœlestis cum materia ignis, *vel* ad minimum sola materia ignis, quæ per nullum non corpus copiâ satis magnâ continuò ruit, omnium admirabilium, quæ in corporibus fiunt causa efficiens principalior est, mirum non est, quòd etiam per totum terrarum orbem tam infra quàm supra terram, in omnis generis corpora vim suam exercere possit. Atque id maximé, quod

 con-

concipiamus in medio terræ Oceanum quaſi ignis puriſſimi laté extenſum æſtuare, ex quo, ſi non flumina, ſaltem rivuli &c,ad minimum effluvia continua per omnes terræ partes, (uti ſanguis & ſpiritus, ex corde per omnia noſtra membra) indeſinenter diſtribuuntur, illasque calefaciunt, fovent & vegetant, ſic ut ubique in terra inveniat aptiſſimum inſtrumentum, quo in infinitum hic *mille artifex* opera ſua variare poteſt. Hinc & *Deus*, *Princeps & Dominus hujus mundi*, *vel ævi*, id eſt, *hujus terræ* hoc nomine dici poteſt, qui ſibi (quamvis impudentiſſimé) omnia regna mundi ejusque theſauros adſcribit, & potens eſt in filiis inobedientiæ vel *hujus mundi* per hæc opera ſua, quibus eos ludit & illudit.

III.

Imò ſi rem penitiùs introſpiciamus, quid abſurdi ſequeretur, ſi dicamus damnatum hunc Genium, non tantùm ſic igni huic jungi, ut per eum operetur, uti mens noſtra per ſpiritus animales, ſed etiam per ignem hunc, ipſi omnibuſque damnatis à principio mundi jam paratum, pati, ſicuti mens noſtra etiam ultimò & immediaté per ſpiritus animales patitur; quippe in utroque mentium finitarum conjun-

ctio cum corporibus poteſt conſiſtere juxta c. 1. § 2. Porrò, quia per *paſſiones animæ*, quas mens ob conjunctionem corporis habet, non ſolùm intelligitur dolor, vel injucunda & triſtis illa animæ perceptio, quæ plané diverſa eſt à motu ſpirituum, illum menti noſtræ, aut ignis, illum Diabolo, repræſentante, ſed etiam intelligatur generaliter omnis perceptio, ut colorum, lucis, ſonorum, verborum &c: num repugnat Genios malos poſſe ſibi invicem per hæc corpora, quæ nutui illorum, inſerviunt, multa citiſſimé communicare, & quaſi mediantibus illis, colloqui, & ſimilia facere.

IV.

Quo poſito liquet, quòd veluti mens noſtra immediaté ſuam vim in corpus ſuum mediantibus ſpiritibus animalibus exercet, quos ex cerebri ventriculis tanquam ex receptaculo naturali ad corporis partes citiſſimé ablegat, eisqué varia in corpore ſuo operatur, ſic *Dominus hîc perverſi orbis* ex throno quaſi ſui regni, hoc eſt, igne ille in medio terræ perpetuo flagrante (quique olim comburet terram, quæ per peccata hominum vanitatibus ſubjecta eſt, ex qua effodiuntur opes, quæ ſunt malo

rum irritamenta, &, uno nomine, instrumentum est omnis nequitiæ) possit magnam illius partem citissimé ad has & illas terræ partes amandare, illaque mediante innumera tam in terræ visceribus, quàm in ejus superficie producere.

V.

Firmiter tamen statui posse videtur malum Genium mente nostra in hoc inferiorem esse, quòd non pro lubitu & quoties vult per hæc corpora agere possit, uti mens nostro si modò illud sit bene dispositum. Nam ex jam dictis patet, quòd talis nexus naturalis inter quodcunque corpus, & inter malum Genium non sit, adeoque se toties solùm eis jungere queat, quoties Deus hoc *aut* jubet eoque utitur, vel tanquam carnifice suo & exequutore voluntatis & justitiæ suæ ut homines cruciet, seu quoad corpus solùm, seu quoad mentem solam, seu quoad utrumque, vel tanquam instrumento quodam, quo fides hominum, ejusque constantia probatur, *aut* in quemcunque tandem finem hanc conjunctionem ipsi permittit. Si enim toties, quoties ipsi liberet, uti corporibus posset, ad suam voluntatem exequendam, nunquam non abuteretur, imò exiguo tempore omnia

omnia perderet, confunderet, totamque rerum naturam destrueret, aliamque conderet, sicque se ejus Dominum & authorem plenarium constitueret. Præsertim v. genus humanum perderet, & maximé quoad mentem, quam (quia ad instar sui plané eam deturpare & secum ex Dei gratia totaliter exturbare non potuit, & ob id ringitur) plané inverteret & ad suam imaginem reformaret, ut id ex C. 2. th. 9. sequitur.

VI.

Mirandum igitur nullo modo est, quòd ob infinitam Dei misericordiam non permittentem, ut semper voluntatem suam exequatur, rariùs hominibus nocere possit, uti etiam mirandum non est, quòd si illam exequatur, id fiat præ aliis in filiis infidelitatis &, inobedientiæ, in quibus potens est hic Dominus tenebrarum; atque ob id spectra, veneficia & similia Diaboli opera 1. in illis locis frequentiùs observentur, ubi Verus & Triunus Deus non agnoscitur coliturque, uti inter barbaras gentes, quibus lux Evangelica non eluxit & lætum illud nunc um de Redemtore suo nondum est annunciatum. 2. Inter Pontificios, qui etsi se Christianos esse jactitent, attamen Deum Triunum non, uti decet, in Spiritu & Veritate

adorant & colunt, ſed cultu fictitio & idololatrico; quia omnia, quæ de Deo, Patre, Filio & Spiritu S., quæ de angelis; quæ de æterna vita aut morte concipiunt dicuntque corporum ad inſtar ſibi repræſentant. Hinc continuis imaginationum ludibriis decepti, loco veri Dei idolum aliquod; loco angeli boni juvenem pulcherrimum; loco mali angeli monſtrum; loco æternæ vitæ, neſcio quas nudas corporales voluptates; loco æternæ mortis cruciatus, carnificinæ modo inferendos, cùm poëtis & fabulonibus vigilantes ſomniant.

VII.

Non tamen negari poteſt, quod inter illos, qui hoc idololatrico cultu omnia non permiſcuerunt, hanc ſuam potentiam Genius malus exercere non poſſit. Nam 1. etſi Deum non in imagine aut per eam adorent, informenturque ſatis, Dei regnum in potu & cibo & ſimilibus non conſiſtere, & porrò quæ ad cultúm Dei verum ſpectant, illos doceatur; attamen quotusquisque eſt (ſaltem inter illos, qui & viles ſunt animo, nec ſolidioribus ſtudiis exercitati) qui non à radicatis præjudiciis infantiæ, omnia ſibi ſub imagine corporea repræſentantis, abripiatur ut ſe continere non poſſit, quin
de

de Deo cogitans aut Angelo, aut si-
mili quodam puré intelligibili, idolum
aliquod loco ejus in cerebro per imagi-
nationem erigat, juxta quod de rebus
illis puré intelligibilibus judicet, loqua-
turque, imò ipſum Deum colat; ita-
que idololatriam ſubtilem committat?
Hi igitur ex parte adhuc filii tenebra-
rum tum quaſi ſunt, qui non toto animo
Deum ſuum admittunt, ſed ſuperſti-
tionibus, vaniſque conceptibus indul-
gentes aperiunt quaſi feneſtram, per
quam malus Genius in illorum animos
illabitur. Namque ad omnium ho-
minum mores actuſque ſagaciſſimé &
accuratiſſimé attendens, hoſque ſibi
paratos magis inveniens, præconce-
ptas has opiniones, quantum in ipſo
eſt, fovet, & ut magis perſuadeat, cor-
poreos, quos de Deo ejuſque operibus
ſpiritualibus habent conceptus, eſſe bo-
nos, ſicque idololatriam hanc confir-
met, ſuumque regnum magis in illis eri-
gat, illorum imaginationi in contem-
plandis v.gr Diabolis, æternæ pœnæ &c:
ſuccurrit, eamque tam vividam facit, ut
mente in eorum conſideratione alté de-
fixa, illud quod in cerebro ſuo ſolùm
contemplantur, extra ſe vidiſſe, ſub
forma hujus aut illius, jurant
idque ſpectrum eſſe dicant. Simili


 modo

modo ad iddolatriam, veneficia, aliasque artes diabolicas facilé tales incitabit. De modo quo hoc Diabolus faciat inferius. Et 2. Diabolus hanc scenam suam adhuc faciliús instruet & absolvet, quò animam alicujus viliorem & rerum divinarum, naturaliumque magis ignorantem inveniet. Talis enim cùm passionibus suis plané mancipata sit, divortiumque cum sana ratione fecerit, nihilque judicet, nisi quod passio præsens dictat, unde jam lætitiâ, jam tristitiâ; jam amore, jam odio; &c: per vices abripitur, & in suis judiciis est inconstantissima, occasionem hanc diabolus arripiens, quassatam passionibus proprijs mentem ulteriùs quassare & cribrare quasi potest, imaginationibusque illius propriis (uti jam innuimus) abusus illam illudere. 3. Hucque multum facit temperamentum certum corporis, quòd quo magis hominem ad tristitiam, metum, terrorem & solitudinem disponit, & cum reliquis causis procatarcticis concurrit, eo omnium facilius Diabolus scopo suo potiri potest; uti inferius id clariús ostendetur. Saltem experientia probat, quòd inter homines sapientes, in Dei & operum ejus cognitione satis versatos, tum cordatos & animo fortes, imò audaces, rarissi-

rissimé quis inveniatur, qui ſpectrum viderit; at quòd melancholici, plebeculi, & præſertim ſexus fœmineus illis præ aliis terreatur. Uti rarisſimum quoque eſt, ſpectra à multis ſimul videri.

VIII.

Quæ omnia ex eis, quæ jam particulariùs de potentia Geniorum malorum in corpora dicemus clariùs cognoſcentur.



EXER-

EXERCITATIONUM PHYSICARUM.

De Angelorum Malorum in Corpora Potentia.

II.

Cap. I.

De Angelorum Malorum Potentia in CORPORA extra nostrum posita.

I.



Eneralioribus Exercitatione priore præmissis ad particulariorem potentiæ Angelorum malorum contemplationem descendamus. Sed hîc se immensum theatrum multivariis illorum actionibus refertissimum aperit, quod non pauca nobis ostendit, quæ non solùm ingenii mei tenelli vires, sed etiam omnium hominum superant, si modum, quo illa à malis his Geniis patrantur indagare velimus, juxta c. I §. 11. & II. §. 6. Exerc: I. Et quis de eo dubitaret, cùm satis constet, quod inter homines innumera stratagemata, tum artium actionúmque varia genera tam secreta sint fiantque, ut vicinissimis etiam, ami-

amicissimis & sapientissimis lateant? Multò enim magis callidissimus Genius, qui artes decipiendi infinitas habet, cujusque omnia opera, sunt *opera tenebrarum*, hoc est, non solùm quòd sunt malitiâ plena, & tenebris spiritualibus involuta, aut quòd eorum plurima de noctu, & in locis tenebricosis plurimum peragantur, sed maximè etiam, quòd tam subtilia sint; ut nec de die lynceis (quod ajunt) oculis videri queant, sua negotia occultabit. Quia tamen non sunt omnia æquè occulta, præsertim in quantum solùm considerantur ut talia, quæ juxta leges naturæ fieri debent, (vide C. 1. §. 9) & non ut consilia & intentiones ejus, horum quædam præsenti Exercitatione considerationi nostræ subjiciemus.

II.

Ut autem hoc commodiùs fiat, a levioribus initium faciamus, quò ex eorum cognitione ad magis stupenda penetranda nos præparemus. Tum etiam, ne quis præjudicio detineatur, præmonere debemus, nos nîl aliud, quàm modum probabilem, quo hæc omnia à malo Genio fieri possint, proposituros, susque deque habentes, an eodem facta sint. Cum enim idem effectus secundùm leges Naturæ univer-

sa-

ſales multis diverſis modis à Natura & Arte producantur, nemo inficias ibit, hoc multò Magis Genium, ſcientiâ ſuâ omnes homines ſuperantem, præſtiturum, nullumque, niſi ex illius revelatione, certò dicturum, quem præ aliis elegerit. Noſtrum verò inſtitutum ad hoc præcipué collimat, ut aliquo modorum iſtorum probabili ſatis allato, quantum in nobis eſt præjudicium vulgatiſſimum & ſummè periculoſum ex animis hominum exſcindamus, quò putant malos Genios peculiari modo, & *præter* vel *ſupernaturali* (ut loquuntur) hoc eſt, non eo, quo omnia in corporibus fiunt, at neſcio quo excellentiore, hæc peragere.

III.

Conſideremus igitur primò quo modo in aëre, ut commodiſſimo ſuo elemento (ut ajunt) dominetur. Ex Phyſica liquet, quâ ratione aër quocunque modo in anguſtiam coactus, ex ea propulſus ventos exhibeat etiam validiſſimos, facillimè igitur apparet, quòd ſicuti generaliores iſti venti per obſtantes nubes, montes, turres &c: neceſſariò fiunt; & particulariores ab hominibus ope follis, æolipylæ, tubi, & oris flabelli &c: ſic faciliùs malus Genius nuda ſuâ voluntate maximam copiam aëris verſus unam partem, imò contra-

riam

riam & ſecundum quatuor cardines mundi, aut etiam citiſime in gyrum, ut turbo fiat, propellere valet. (juxta illa quæ Exerc: 1. ſunt dicta) Quo poſito, quid mirum, ſi per illum ventum turres, templa, ædificia, horrea &c: dejicere; arbores, ſegetes proſternere, & eradicare, naufragia cauſare; fluctus ad littora pellendo aggeres perrumpere, itaque innudationem cauſare; imò ranas, piſces, aves, lapides ſegetes, ſtramen, &c uno nomine omnia, quæ ventus hic potens eſt ſecum avehere, ex uno loco in aliam tranſportare, & ſimilia infinita efficere valeat?

IV.

Et quia in aëre innumeri ſemper ſunt vapores & exhalationes, quæ ſi in unum cogantur nubes, pluviam, nivem, grandinemque componunt, quàm facilè ipſi eſt vapores & exhalationes in tam denſas nubes cogere, radiis ſolaribus objectæ media die tenebras inferant denſiſſimas & palpabiles; aut quæ, prout variis figuris conſtant, diverſiſque modis radios ſolares vel lunares ad terram & ſpectatorum oculos reflectunt & refringunt, ſimilitudinem diverſarum rerum quâ homines illudit, exhibebunt; aut ſi unæ in alias ab ipſo deturbentur; aut verſus montes, turreſque &c; frangantur, fulge-

getra, fulmina & tonitrua excitabunt; quibus mediantibus arbores disrumpere; turres, ædificia, horrea, segetes &c: confringere & incendere; hominibusque & pecudi multis modis nocere poterit. Cùmque non solùm sciat, quomodo pluvia producatur, sed etiam quòd pro diversa exhalationum mixtura possit esse lactei, sanguinei, aliusque coloris; odores spirare non minus varios; tum insecta subtilia in aëre ex certis exhalationibus aut lapillos &c: prognata continere, quàm facilè talia pluviæ miscebit, & ita lac, sanguinem, atramentum, odores bonos malosque, insecta, lapillulos, & quasi aciculas &c: pluere faciet; aut ex pluvia ista ad varios suos usus desumet? similiter grandine non solùm maximo effecto hominibus brutisque plurima damna inferre potest, sed ad exemplar ingeniosæ Naturæ diversas figuras ipsi induere, ut vel crucem, vel conum, vel stellam, vel faciem quamcumvis referant, ut his figuris non minùs ac speciebus illis in aere repræsentatis, credulitati hominum ocultas insidias struat.

V.

Porrò, quia pro exhalationum harum infinita varietate diversæ speciei meteora generantur, ingeniosus hic artifex ad simi-

ſimilitudinem illorum meteora quævis alia producere novit, formas & figuras hominum, avium, plantarum, faſci-culorum ſtraminis ardentium &c: referentes, eaque pro libitu, vento ad hoc concitato ferre, ut circa flumina, ſepulcra, carceres, patibula, locaque quævis à frequentia hominum remota, ire, redire, ſaltare, obambulare, volare &c: videantur. Idque præſertim tempore peſtis, juſtitiæ publicè adminiſtratæ &c: quò hominibus terrorem incutiat, cogitationeſque ſuperſtitioſas ingerat; Unde etiam iſta loca ſpectris, lemuribus, ſpiritibuſque famoſa eſſe dicuntur.

VI.

Imò cum ab exhalationum varia attemperatione contagium in aëre poſſit oriri, quod peſtem & mortem hominibus & pecudibus, uti ſterilitatem inducat; tum ſegitibus arboribuſque noceat; hoc ipſo concitato, quid non damni humano generi inferet? Et cum naturaliter tempore talis peſtis meteora prædicta frequentiora eſſe poſſint, igneſque fatui circa ſepulchra hærere, quià ex eis exhalationum, peſte extinctorum, copia eſt frequentior, illorum aliquos in unum compingens, anſam dat vilibus animabus ſpiritus ex ſepulchro redeuntes & majorem peſtem &c.

in

indigitantes, & nescio quid non, fingere. Et si forsan hoc tempore, cometa in cœlo fulgeat, quem vulgus sibi firmiter persuadet indicium instantis belli, pestis, famis, sterilitatisque certissimum esse, quas non curas & anxietates, quasque suspiciones mirasque interpretationes in vilibus animis non producet?

VII.

Et ut magis nobis persuadeamus, quod etiam colorem varium istis omnibus suis ludibriis & terriculis inducere possit, cogitemus non solùm quòd sicuti ex diversis mixturis liquorum (uti vel ipsa pix liquida aquæ affusa, aut aqua sapone impraegnata & in bullas inflata docet) varii colores oriuntur, ita etiam ab exhalationem diversitate; sed præsertim quod idem fiat ex simplici corporum versus radios varia positione, (uti in collo columbino &c. videre est) atque ex hac etiam iridis tam naturalis quàm artificialis jucunda repræsentatio, nubium colores varii: halonum & coronidum circa sidera apparentiæ &c. dependeant. Nam cum accuratissimé hæc omnia pictor hic excellentissimus perspecta habeat, cur non mixtis miscendis, contemperatis co-temperandis, radiisque solaribus
aut

aut lunaribus debito modo objectis, omnium corporum species cum suis coloribus vivis repræsentare posset, atque ita aut tanquam juvenem talem pulchrum, prout angelos bonos depingunt, se exhibere; aut principem, prophetam, militem, monachum, puellam, serpentem, avem, feram rarissimam, & aliquando summe monstrosam; imò integras choreas, exercitus; Et similia infinita?

VIII.

Novit non minus, qui aer nimis agitatus valde incalescat & ineptus reddatur, ad multorum animalium ignem vitalem conservandum, sed aptus ad extinguendum, unde suffocativus dicitur. Novit qui condensatus ad instar durissimi marmoris resistat, & subitò rarefactus & à priore constrictione liberatus durissima quoque & gravissima propellat, frangat, comminuat, discutiat. Novit sonum nil aliud quam tremulum aëris motum esse, & quomodo in aëre varii odores propagantur &c: Hinc pro lubitu suo aeri omnes has varietates inducens, nova alia producit. Sic v. gr. aëre suffocante producto, equos ad anhelitus difficiles, spumæ ex ore rejectionem, calcitrationem, variam jactationem incitat; aut odores, equæ

la

lascivientis similes objiciendo ad Venerem, & cursum indomitum, Et canibus odores ferarum, aut heri sui similes, aut illorum voces objiciendo, illos seducit. Sic condensato fortiter aëre brutis & peregrinantibus resistere ita potest, ut progredi non possint, etsi nîl videant, quod obstet. Eodem modo corpora gravissima in libero aëre sustentare & sufferre potest, quo rarefacto iterum subitò decidunt, & magno impetu cadendo substrata comminuunt; quo pacto & lapides, globos &c: tanquam ex funda, sclopetis &c: projicere potest. Nec quid obstat, quòd eodem in formam manûs, mallei, gladii &c: præcisé condensato & in corpora bestiarum hominumve fortiter impacto alapam infligat, quæ vestigium 5. digitorum, aut vulnus, quod vestigium mallei, gladii &c: referat, sic tamen ut nil, quod feriat, videatur.

IX.

Denique, quia ipsi satis perspectum est, quo pacto materia ignis aliaque cœlorum (de quibus C. 3. § 1. 2. 3. Exc: 1.) sit causa omnis caloris, fermentationis, liquorum purificationis & (si ita loqui liceat) pellucidationis; gravitatis, luminis &c: ex quibus porrò mineralium, fossilium, plantarum, arborum,

rum, ipſorumque animalium generatio, imò omnia quæ, tam in terræ viſceribus, quàm ſupra eam oriuntur intereuntque, dependent, quid mirum, ſi hiſce ſuis aptiſſimis inſtrumentis utens non ſolùm herbas, plantas, arbores &c: multis modis alterare, ſed eas etiam producere poſſit, uti & gemmas, metalla &c: & ſimulacra quædam ex hiſce conflata: imò etiam mures, glires, aves &c: & uno nomine, res quaſvis antea nunquam viſas, & quarum ſimile quid forſan in rerum natura nondum extitit? Hæc igitur cùm ejus fiant opera, quorum quædam ſe ut automata habent, illa varié non tantum movere, ſed etiam per illa loqui poterit, *vel* quatenus organis eorum ad vocem articulatam edendam aptis utitur; *vel* ſaltem aërem circa illa, modo *illo*, quo ad hæc aut illa verba ſignificanda moveri debet concutiat; ſic ut ſi os illorum ſuorum animalium, quis moveri videret, & ſimul hæc verba audiret, Diabolum per illa loquutum eſſe diceret. Quamvis hic motus oris non neceſſariò adſit, cùm & per ſtatuas & ſimulacra loqui poſſit, & quidem jam hoc momento per hanc, altero per aliam; jam tanquam eminus, jam cominus; idque vel ad dextram, ſiniſtram, ſurſum, deorſum

&c:

&c: Hoc enim ex hoc ſolo mihi dependere videtur, quòd ab hac aut illa parte tremulus ille aëris motus, qui ſonum vel vocem repræſentat, primò ab ipſo directus ſit. Sed quia infinita ſimilia, quæ huc ſpectant explicare ex dictis poſſemus, quæ charta non caperet, paucis his contenti ſimus.

Cap. II.

De Anglorum malorum in corpora Humana potentia.

I.

QUandoquidem jam novimus, quot diverſis inſtrumentis & modis agendi malus Genius inſtructus ſit, quibus valet laté ſuum Imperium per aërem & terram exercere, multò facilius patebit ex Medicina quomodo his mediantibus in corpora noſtra vim ſuam exerere valeat. Novit enim hic malus Genius multò diſtinctiùs quàm omnes Hippocrates & Galeni, quid ſubtiliſſima quævis materia in aëre exiſtens, & totum noſtrum corpus continuò pervadens, quid aër reliquus craſſior illud circumfluens; quid

quid alimenta & medicamenta ab illo assumpta, & in succum & sanguinem conversa, possint boni malive præstare, & vel sanitatem vel innumeros morbos producere.

II.

Horum aliquot exempla jam cap. præced. incidenter attigimus, sed ut magis hoc patescat specialiora quædam distinctiùs explicemus. Sic non tantùm aëre calefacto & suffocativo reddito brutis hominibusque respirationem impediet, verùm etiam vitam eripiet. Et hoc facillimo negotio in fossoribus qui in profundis terræ cavernis operantur impetrabit, quia ibidem subtilissimarum exhalationum maxima copia est, quæ ad sanguinis refrigerium, quod ad conservandum ignis vitalis vigorem summé necessarium est, ineptæ existunt & plerumque nimis erodentes sunt, quapropter per se valent vitam hominibus illis adimere, licèt non tam citò, quàm cùm à malo Genio copiosiùs & celeriùs agitatæ & versùs eorum nares instar venti subtilissimi propulsæ, sanguinem impetuosè & magnâ copiâ intrant. Sic vice versa aërem hominibus imminentem condensare & premere novit, ut illo gravati vix spiritum ducere, imò se ne quidem commovere valeant,

quapropter humeris , collo vel capiti molem quandam impositam esse, aut aliquem insidere, dicunt. Et quamvis non repugnet , illis molem aliquam à malo genio formatam , vel aliunde mediante aëre allatam revera imponi posse, attamen frequentius hoc ob morbum, qui incubus vocatur , fieri judico.

III.

De contagio in aëre excitato , quî pestem &c. producere queat , Cap. præced. dictum. Eodem modo , si quid corrosivum & exedens ab exhalationibus secernat, & faciei cutique hominum applicet , illam denigrare , rubefacere, aut variis maculis, punctulatim dispersis deturpare ; pustulas varias , scabiei, psoræ & lepræ , species inducere potest. Eædem particulæ cum aëre in pulmones ruentes ulcus & consequenter phtisin inducere , ad sanguinem verò & cor delatæ fermentationem ejus immutare & febrim , tormina &c: producent ; Imò pars earum multò subtilior sursum ad cerebrum tendens illud perturbare , & *vel* vertiginem , qua omnia in gyrum circumrotari videntur , *vel* aliam quandam noxam cerebro inferre ; indeque ad musculos & nervosum genus omne ipsumque sanguinem delata , novas turbas dare poterit.

IV. Quo-

IV.

Quomodo diversimodè in oculos per sua repræsentamina ; in aures per alloquutiones ; in nares per odores , maximé tetricos , & sine quibus post se relictis non recedere dicitur ; in linguam per diversos sapores agere , & sic lumine vel sono fortissimo ; odoribus pessimis & saporibus erodentibus organa hæc sensuum , imò totum corpus, totumque hominem lædere possit ex cap. præced. satis constabit. At referunt etiam spectra alia calida, vel frigida; alia humida, vel sicca apparuisse ; imò malum Genium cum sagis actum Venereum, exercuisse , & similia, quæ sensum tactûs magis concernunt. Unde hæc? Concipi equidem facilè potest , quòd , si corpus a Diabolo formatum multis exhalationibus oleosis & sulphureis constet, flammamque aliquam levem concipiat exteriorem ejus superficiem solùm depascentem , hocque corpus applicetur protinus homini, calorem sit exhibiturum, imò qui aliquando urat ; sed si non statim applicetur, sic ut per flammam materia combustibilis prius sit consumta, aliâ crassiore relictâ ; aut si solùm hoc corpus sit lucidum & non ardens , frigidum apparebit. Uno verbo , quò corporum talium minima

naturalia erunt magis agitata, eò plus calida; quó minus, eó plus frigida; quò plus liquoris in se habebunt eò magis humida; quò minus eò magis sicca erunt. Sed quantum ad sagas; etsi non implicet, Diabolum corpore hunc in finem efficto titillationem veneream inferre, & quia ipsi jus in corpus suum sagæ concesserunt impraegnationis speciem, ipsarum sanguine, vel solo nutu voluntatis alterato, suscitare posse, unde ranas, bufones, aliave insecta sagæ enituntur; attamen judico id potius in deceptione & illusione continua consistere, de qua inferius. Nam generaliter bene notari velim, quòd illa omnia phœnomena, quæ Diabolus sensibus externis hominum objicit, rarò tam perfecta sint, uti de eis homines loquuntur; sed quòd imaginatio, meticulositas, & præcipuè mendax fama, quæ semper crescit eundo, formam eis det exactam & elaboratam magis, quàm unquam in rei veritate fuit; uti itidem hoc ex infra dicendis confirmabitur.

V.

Præ aliis autem hîc considerationem meretur, quomodo per illa, quæ assumuntur & in succum & sanguinem convertuntur, malitiam suam exercere valeat. Nam etsi *homicida hic omnium maximus* animis hominum præcipuè in-

hiet,

hiet, attamen vitam quoque illorum aut saltem valetudinem, si prius ipsi non licet, perdere tentat. Novit enim, quòd corpore malè dispofito mens in consortium trahatur, doloribusque & molestiis vexata ad suas proprias actiones æquè ac ad illas quæ à conjugio mentis corporisque dependent, inepta facilè reddatur. Novit etiam non solùm, quòd temperamenta corporis sequantur mores animi, sed etiam exactissimam omnium temperamentorum cognitionem habet, & quomodo in mentem agant, quæque ad suæ voluntati optemderandum magis idonea sint; hinc saltem ut ea quæ minus apta sunt per morbos aliaque media mutet nunquam non invigilat.

VI.

Totum igitur corpus quia præcipuè perdere & destruere allaborat, hunc in finem quo potest modo alimenta corrumpit, vel ut loquuntur veneno inficit. Hoc quomodo mediantibus illis, quæ sub forma cibi & potûs assummuntur impetret, ultimò jam paucis inquirendum. Et sanè hoc ipsi facilè est. 1: Quia novit multò melius quàm ullus Botanicus & Chymicus naturam omnium herbarum, mineralium &c cùm ipse (ut dictum §.9. C. præc.) variasherbas, varia minera-

lia producere queat, ideòque ipsi facilè sit tale quid producere, quod respectu hujus aut illius temperamenti venenum est, & adhuc facilius, ea venena quæ jam existunt cognoscere. 2: Cumque illa subtilissimarum partium esse queant, ut, separatim in aëre illis particulis existentibus, nullo modo percipiantur, (uti contagium pestis &c:) nullo animadvertente, cibo potuique illas miscere, idque citissimè poterit. Cùmque hæ particulæ se ut fermenta subtilissima & efficacissima respectu corporis hujus aut illius hominis habeant, pro diversa illarum qualitate & attemperatione, cùm ventriculi fermento naturali mixtæ erunt, vel solùm nauseam, vel vomitum simul, tormina, & inflationem &c. producent. Et hæc medicamentis etiam hominibus cognitis facilè conficiet. At forsan non iisdem 3. vermes varii generis; uti & insecta, quorum aliqua tam perfecta sunt, ut sonitum diversorum animalium, v. gr. ranarum, pipionum, murium &c: referant, quæ aliàs procreare didicit. Quod sanè mirum adeò non est, cùm Chymici ex certis misturis, fimi equini calore fovente, aliisque modis, insecta varia producere nôrint; At certè fimi equini calore, multo aptior esse poterit ad hunc effectum impetrandum digestio illa,

quæ

quæ in ventriculo perficitur. Multò minus 4. mirum, quod talia fermenta cibis potuique miſcere ſciat, quæ poſt levem aliquam in ventriculo ebullitionem cum partibus cibi variis modis conjunguntur & concreſcunt, atque ita calcem, arenam, cretam, lapillos, ſcobem ferri, &c. imitentur, uti ex oleo tartari & vitrioli mixto, corpus albicans & durum, quod tartarum vitriolatum nominamus, per fermentationem ſubitaneam oriri videmus. Aut 5. ſi lentior ſit illa fermentatio, cum certis ciborum particulis junctis, & ſecundùm longitudinem extenſis ſpeciem capillorum, filorum &c: rudimenta futurorum vermium exiſtentium, referent. Uti conſtat vermes in ventriculo & inteſtinis natos ex innumera congerie talium filamentorum, diverſos etiam colores habentium, quaſi conflatos eſſe: Magis 6. mirandum quomodo aciculas, & ferramenta minora ſæpius dicantur veneficio infectos ejicere, quia, niſi cibo & potui à malo Genio ejuſque ſervis ſint mixta, non ita liquet quomodo ad inſtar priorum in ventriculo generari queant. Quamvis putem me experimentum aliquod Chymicum legiſſe, ad cujus ideam hoc aliquomodo evplicari poſſet. At 7. fidem ferè ſuperat, & à me nondum be-

ne concipi posse fateor, quòd referant integros cultros, serras, magnos clavos, magna frusta panni &c: à veneficio infectis evomi; de quibus idcirco nihil jam determino, nisi quòd potiùs ad illusiones & meras apparentias à Diabolo effictas, & quòd unum pro alio corpore substituere queat, referam.

VII.

His igitur & multis aliis modis ventriculi fermento ex naturali statu planè deturbato, quid mirum si inde totius sanguinis bona constitutio perdatur, sic ut ita diabolus consequenter tormina, ructus, murmura, rugitus varios; ventris insufflationem immanem: dolores capitis & deliria horrenda: mictum sanguinis aut hæmorhagiam narium maximam; ulcera fœda & maculas turpissimas; febrem lentam & tabem consummatissimam; & verbo, nullos non cruciatus & morbos quibus corpora hominum tentari possunt causet.

VII.

Si tamen ipsi non liceat effectus tales votis suis plané respondentes hisce mediis obtinere, Deo hæc opera Diaboli destruente, aut ne omnem effectum sortiantur impediente, sæpius tamen hæc fermenta, aliquas saltem suarum virium exerentia, ad temperamenta hominum

num mutanda sufficiunt, sicuti notum est chymicis, quomodo idem corpus vel solo gradu caloris paucissimisque aliis mutatis, aliam naturam induat; sicut ex eadem materia vomitorium, purgans, sudoriferum, alterans, imò corroborans fieri queat. Quocunque a. modo se temperamenta habeant, sive naturaliter talia sint, aut naturali morbo mutata; aut cooperante Diabolo; paucis exemplis quid per illa sola in corpus & consequenter in animam producat, jam videamus.

Cap. III.

De malorum Angelorum in Corpora hominum potentia per solum temperamentum

I.

HActenus qua ratione Diabolus mundo majore ad minorem perdendum utatur vidimus, restat ut consideremus, quomodo ipsius corporis viribus ad nocendum homini, quoad corpus quidem directé, consequenter vero quoad mentem ejus utatur. Vires igitur ejus cum in temperamento suo naturali consistant, in-

ter illud occurrit primò quod ſangui- neum dicitur. Hoc autem cum præ aliis temperatiſſimum ſit, & corpus validum & vegetum faciat, non ita directè ad noxam aliquam ipſi inferendam Diabolo inſervit, ſed ſolùm indirectè. V. gr. quia hoc temperamentum homines ad Venerem inſtigat, Diabolus factam hanc de objecto Venereo impreſſionem in cerebro, facilè tam fortem & diſtinctam facere poteſt, mittendo ſimiles ſpiritus animales verſùs eandem partem cerebri, ut inflammatus quaſi œſtro Venereo ejuſmodi, rejecto omni pudore & uſu rationis ad laſciviam, ſcortationes, & adulteria laxatis quaſi habenis ruat, quo ſicuti mentem ſuam & famam deturpat, ſic corpus enervat.

II.

At multò magis ipſius intentione aptum eſt illud quod valde bilioſum eſt, quia illi homines naturaliter ad iram, odium, invidiamque tam proclives ſunt, ut horum vitiorum ſigna ipſis oculorum actionibus, frontis plicis, faciei rubore vel pallore, &c: ob leviſſimam quoque anſam oſtendant; vitia ſanè quæ cum natura Diaboli à nobis Exc. priore deſcripta præ cœteris conveniunt, ſic ut in illis ſuam imaginem quaſi videat, & ob id de meliore ſuæ intentionis ſucceſſu

ſpe-

ſperet. Hinc ſicuti illis ita novit uti, ut indirectè hominibus talibus noceat, dum hæc vitia matres quaſi rixarum, vulnerum & homicidii ſunt, propter quæ homines famæ, fortunæ, corporis & vitæ, imò ſæpius mentis & ſalutis æternæ jacturam patiuntur, ſic directè temperamentum hoc uſurpat ad excitandas febres ardentes & quæ inde fluunt deliria, memoriæ imbecillitas &c: paſſiones colicas; diarrhæas fortiſſimas & dyſenterias, & ſimiles morbos, quibus homines talis temperamenti naturaliter obnoxios eſſe Medicis notum eſt.

III.

Præ aliis tamen ipſi maximé commodum eſt temperamentum valde melancholicum, & à quo pituitoſum parum diſcrepat. Hoc equidem nomine etiam, quòd morbos qui indè propullare poſſunt, facillimo negotio producat, foveat, augeatque, maximè tamen ob id quòd tales homines naturaliter ad triſtitiam inclinent; ſolitudinem ament; atque in conſideratione hujus aut illius objecti, præſertim triſtis, diu & mordicus quaſi hæreant; meticuloſi etiam ſint & ob minima alterentur, conſternanturque. Uno nomine, plerumque viliſſimi, tam quoad mentem, quàm quoad corpus exiſtant. In illis enim aptiſſimum quaſi

theatrum invenit, in quo ſuam perſonam, hoc eſt, ſpiritum ſuperbiæ, deceptorem, mendacem & homicidam agit. Nam cùm ipſi nullum gaudium quaſi majus evenire poſſit, quàm ſi homines ad deſperationem deducat, ut ſibi, de ſalute æterna deſperantes, & à Chriſto ad hoſtem ejus Diabolum deficientes, violentas manus ipſis inferant; idque tam grande facinus ſit, quo ipſo vix dignius quid patrare poteſt, ideòque nec uno inſultu, ſed tractu temporis & per occultas inſidias & artes, quibus animo & corpore fortes melius reſiſtere poſſunt, in hominibus talibus melancholicis, uti eos deſcripſimus, citiùs ſe exoptatum eventum aſſequi poſſe, apprimè novit.

IV.

Gradus igitur aliquos, per quos in expugnando tali homine progreditur diſtinctiùs conſideremus. Et 1. quidem in eo conſiſtere poteſt, quòd conſervans eundem motum ſpirituum, quo ſibi homo, maximé in ſolitudine, quæ aptior eſt ad profundiorem contemplationem, aliquod objectum, & præſertim quod triſtitiæ cauſa eſt, repræſentat, paſſionem præſentem firmat, adauget; unde objectum quod conſiderat, tandem imaginationi ejus tam vividum exhibebi-

bebitur, ut ſicuti in imaginatione illæ eſt, ita etiam extra ſuum corpus exiſtere judicet; Non aliter, ut qui ociosè nubes & ignem &c: defixis oculis contemplatur, varia in ipſis corpora oriri & interire quaſi videbit, quorum imagines tamen ſolum modò in ejus forti imaginatione ſubſiſtunt. Sed quia hæc apparentia quam extra ſe melancholicus eſſe revera putat, ſtatim diſparet, quia metus, vel terror, vel alia quædam paſſio superveniens, curſum hunc ſpirituum animalium, qui ad fortem hanc imaginationem requirebatur mutat, hinc certò ſe ſpectrum vidiſſe concludit. Cùm autem hoc melancholico ſæpiùs evenire poſſit, hinc habitum quaſi metus & conſternationis contrahit. Hoc modo viduæ melancholicæ demortuus maritus, quem impensè amavit facilé reducitur; amatoribus illa perſona, quam vehementer amant, oſtenditur; avaro opes, quarum cupiditate flagrat & anxiè quærit, monſtratur &c:

V.

At II. quia melancholicus ad communem ferè omnium hominum morem (confer C. 3 §. 7. Exc I) Deum, mentem ſuam, mortem, tam naturalem quàm æternam, Diabolos, pœnas & gaudia æterna non niſi ſub imagine corporea repræ-

ſentat, hunc perverſum conceptum Diabolus, modo jam dicto, figit, ut præconcepta & falſa opinio quæ inde naſcitur, ex ejus animo difficillimè exſcindatur, & habitus perverſus, jam ab infantia contractus magis perficiatur, ſic ut tandem impoſſibile ipſi fiat de Deo & rebus intelligibilibus aliud quid quàm corporeum & falſum concipere. Nam ex hoc mens talis hominis non poteſt non quaſi carnalis & animal quaſi brutum fieri, quod nullo modo ſapere poterit id quod eſt Spiritus Dei, ſed quod ridiculum & ſtultum putat quid, de Deo &c: absque imagine apprehendere. Hinc à vero Dei cultu neceſſariò declinans, & alium quam Deus non vult ex imaginatione ſua fingens, ſpirituique Deo contradicens, nec ipſi ſes ubjiciens, optatum quaſi Diaboli diverticulum ſe exhibet, quo opportuno tempore utatur ut hominem per ſemetipſum vinciat, vincat, & quoad corpus & animam perdat.

VI.

Nam III. opportunitatem hanc Diabolus facilè inveniet. Ita v. gr. vel hoc ſolo quod ejuſmodi homo carnalis ſibi mortem ut terribilium terribiliſſimum imaginetur, hanc ideam Diabolus confirmando ipſum ita terrere poteſt & ſimul mundo affigere, ut vel ſolum mor-

tis

tis nomen ipsum expavescere faciat, cujus considerationem ut tollat mundi delicias quærat. Hinc quia nîl horribiliùs & dolorificum magis, quàm mori censet, quæcunque ipsi de æternis gaudiis & cœlesti gloria, quibus nisi post mortem possumus indui, dicentur, nunquam tanti faciet, ut ob ea mori vellet; nam licèt libenter eis potiri vellet, non tamen per tam duram & asperrimam viam (ut ipsi videtur) ad illa transire cupit. Unde mavult temporalibus frui, quam ob æterna gaudia mori. Non aliter uti pueri quidem sanitatem affectant, at potionem amaram ebibere nolunt, malintque valetudinarii manere & mori, quam sanitatem ingrato medio recipere

VII.

Quousque jam homine tali irretito si IV. eveniat ut damna aliqua ingentia fortunæ, famæ, corporisve patiatur; Ut si ad paupertatem redigatur, si injuriis gravetur, si cruciatibus & morbis teneatur, tunc demum suam Diabolus imaginem, & cruciatus infernales quales sibi talis homo fingere solet, in memoriam revocat. Sed multò horribiliorem, sic ut mortis imago præ his pulcra sit; simul hæc sua damna ut justam pœnam Dei, quâ ob peccata hæc & illa, innu-

innumera & maxima punitur, & quæ instantium pœnarum adhuc minima sit, objicit, sic ut omnibus illis ferendis par non possit esse. Hinc cruciatus & morsus conscientiæ quidem innumeri in tali animo surgunt, at non est tristitia secundùm Deum, quem (juxta th. 5. hujus) nunquam agnovit, sed ejus loco Principem summé iratum, & implacabilem; ignem & flammam consumentem & simile quid imaginans, præ anxietate quò se vertat non habet, ubique quasi spectris illi occurrentibus, quæ interius imaginationi ejus Diabolus obtrudit. Inter tot mala & spectra ergo quasi versans, quorum quodlibet morte multò horribiliorem judicat, facilè suam sententiam mutat, & quia mortuos judicat nullos dolores ampliùs sentire, & quæ de vita alia post mortem sæpius audivit, esse nugas, nec futuram talem unquam resurrectionem &c: inter omnia mala hoc minimum esse concludit mori & finire morte dolores, & quidem subito, ut quasi mortem, seu terriculum illud crudele præveniat, ne ab illo diutius torqueatur. Et sic Diabolus tragædiam suam finit.

VIII.

Sed hîc bene notari velim; me dum de melancholico hæc refero non tamen

reli-

reliqua temperamenta excludere, loquor enim ſolùm jam de aptiſſimo; Quippe illa aptitudo uti in ſolo corpore conſiſtit ita medicamentis, muſica hilari, conſortio læto &c: atque ita ſimul hic malus Genius poteſt pelli, id eſt, hæc aptitudo quam malus Genius ad nocendum homini invenit. Certum enim eſt quòd Diabolus idem in aliis quoque temperamentis obtinere poſſit, quamvis (ſi ſolùm corpus reſpicias) non tam facilè. Hujuſque rationem unam & ſufficientiſſimam damus hanc: quod quemadmodum mens noſtra ultimò per ſpiritus animales operarur in corpus ſuum & per illos etiam patitur (juxta C. I. §. 8. Exc. I.) ſic itidem & malus Genius in mentem humanam agat, ac ob id quoties ſpiritus animales eodem modo in ventriculis fluere & quaſi radiare nutu ſuæ voluntatis faciat, quod requiritur ad hoc vel illud menti humanæ repræſentandum, toties ea perceptio in mente illa oriatur, qualis naturaliter ipſi evenire debet (juxta Exc. I. C. I §. 7.) Atque ita non ſolùm in inſomniis illam terrere, & ut hæc vel illa quaſi videat, audiat &c: efficit, ſed de die quoque imaginationem hanc occupans, extra ſuum corpus hæc & illa audire, videre &c: efficiet; unde faſcinationum variæ ſpecies emergunt.

Hinc

Hinc enim aliis quæ videre volunt, ut furem, amasiam, &c: in circulo terræ inscripto: aliis in speculo, aliis in aëre &c: repræsentat; Perinde enim ipsi est ubi ea repræsentet, quia sufficit clara & distincta illa imaginatio interius menti humanæ objecta, ut judicet illa, quæ solùm in cerebro suo quasi videt, in locis illis, quæ oculo opposita sunt, existere. Unde manifestè patet non solùm infinita pro spectris extra hominem apparentibus haberi, quæ tamen non sunt, verùm etiam difficulter determinari posse, quando, quod ut spectrum apparet, revera sit aliquid à Diabolo in aëre formatum.

IX.

Tandem, ex dictis clarè patet, quomodo Genius malus morbis, facillimè uti possit ad homines terrendos, decipiendos cruciandòque. Sic quàm facilè se deliriis febricitantium, & epilepsiæ variis symptomatibus, & somnambulonum actionibus, immiscet? Atque, cum qui incubum patiuntur (morbum naturalem scil:) ex vulgi superstitione putantes illum à nescio quo Genio lascivo induci, opinentur se à lemuribus infestari & subigi, facilè illos in sua opinione confirmari, ut neglectis ordinariis remediis ad superstitiosam curam confugiant,

giant, sed etiam aliquid de suo in tali morbo addit. Et cùm uterus sit infinitorum malorum mater, sitque sexus fœmineus temperamenti magis frigidi & aquosi seu melancholici, animamque viliorem habeat; multò magis illas Diaboli tentationibus obnoxias esse, quis non videt? Hinc non solùm picâ, furore uterino, epilepsiâ uterinâ præsente; &c: suam vim faciliùs exercet; & sua negotia ordinario naturæ cursui miscet, sed etiam multò rariùs viros quàm fœminas, & inter illas vetulas & conditionis inferioris & male educatas irretire potest, ut sagarum more vel alio quocunque modo ipsi inserviant; imò tentatio illa omnium maxima & horribilissima quæ obsessio corporalis vocatur, rariùs in viris quàm in fœminis invenitur; & illæ rursus eo magis huic obnoxiæ sunt, quæ furorem uterinum aliumve similem uteri affectum patiuntur. Quæcunque a. in tali obsessione observantur; aut in hominibus incarceratis, quibus collum obtortum à Diabolo esse dicitur; aut etiam aliis in aqua variè laceratis, aut similibus quæ huc spectant, ex eis quæ his Exercitationibus dicta sunt, posse satis probabiliter educi & probari judicamus.

Cap. IV.

De malorum Angelorum in homines Per homines Potentia.

I.

POssemus filum considerationis prioris ulterius extendendo ostendere multos alios modos quibus Diabolus in hominum animos illabi possit, ut illos sibi deditos & obstrictos variis modis & gradibus faciat, atque ita examinare, quomodo illi qui vanitatibus, crudelitate, crassâ ignorantià, superstitione, avaritiâ & similibus vitiis laborant, jam ab ipso illaqueati quasi sint, & proclives redditi ut ad alia pejora transeant. Quippe hæc gradus sunt, quibus ad vanæ Astrologiæ, Chiromantiæ, Physiognomiæ, Alchimiæ & similium studiorum, quorum fundamenta nulla sunt certa, at maximè vanis præjudiciis ex infantia, sensibus, gentilismo & papatu haustis innituntur, vanissimum cultum facilè transitur. Quamvis enim astrorum vires in hæc inferiora agere nullus neget; & signa quædam in manu, facie & toto corpore possint esse, sanitatis vel morbi, quia ejus effecta sunt; & in mineralibus infinita lateant, quæ inde deduci possunt,

possunt attamen hæc adeò a tot & tam minutis circumstantiis dependent, ut non possint nisi summo labore & à Philosopho sagacissimo, & nullis non adminiculis instructo quibus rerum naturam rectâ methodo introgredi eamque contemplari debet, inveniri? At plerumque hujus farinæ homines vix primorum elementorum solidæ cujusdam Philosophiæ cognitionem habent. Imò si prædicta vitia magis excellant, aut se homines profundè vanissimis studiis immerserint, quam facilis ad magiam, incantationem, præstigia; imò veneficia & similia est prolapsus?

II.

Sed tales modos quàm plurimos quilibet, ingenii vel mediocriter subacti, excogitare poterit. At quo complementum quasi aliquod hactenus dictorum adjiciamus cùm 1. præter mundum & proprium corpus nostrum ad nos perdendos, Diabolus maximé etiam utatur hominibus hisce vanis tanquam suis canibus venaticis, quibus insidias primò & principaliter menti, tum corpori nectit quarum etsi graviores & notabiles magis sint illæ, quas homini obveniunt per illos qui magorum, sagarum, lamiarum, veneficarum nomine horrent, attamen-

men omnes à Patre ſuo qui abſolutè *Malus* dicitur, ſpeciali jure *Mali* vocantur. 2 Quia horum opera non minùs ac Diaboli homines admirantur & ſtupent, de hiſce pauca adjiciemus, ex quibus pateſcet illos æquè & multò minùs ac Diabolum eſſe metuendis illis qui credulitatem ſuam iis non addicunt, & firma fide Deo ſuo innituntur.

III.

Hunc in finem tolli debet grande præjudicium, quo vulgus putat hæc opera ab ipſis *Malis* hominibus immediatè produci, ad inſtar canum qui lapidem quo petuntur mordent, neglecto illo, qui eum mittit. Ita enim illi rariſſimè quid illorum patrant, ſed Diabolus illorum loco; & licet illis certa corpora ſubminiſtret, ut potiones, ova, poma, radices, capillos hominum, panem mendicatum, ſalem, herbas & ſimilia innumera, attamen illa. 1. Aut nihil ſæpiſſimè agunt; quamvis decepti hoc modo ſibi firmiter perſuadeant ſe hæc illa certò patrâſſe, non aliter uti pueris perſuaderi ſolet, quòd fortem virum nutu & geſtu proſtrârint, qui alia de cauſa cadit; vel ſimile quid feciſſe quod vires eorum ſuperat. V, gr. cùm veneſicæ fulmine concitato com-

comburunt ſegetes. Cùm venatores Diabolo mancipati feras aliquas raras afferunt, quæ nunquam viſæ ſunt & quas illi ſoli poſſunt capere. Novit enim Diabolus eas ex regionibus aliis adducere, ſi non ipſas faciat, aut, quòd potiùs judicarem, feras vulgares ſub ſpecie valde rara apparere facit, ut ſi v. g. cervi caput multò, magus ſolito oculi ignei, cornua in gyrum rotundata, cauda equinum in modum oblongata &c: exhibeatur. Sicque ipſos venatores alioſque eludit, non aliter uti per ſpecula & vitra arte polita facies hominis monſtroſa & multiplicata oſtendi poteſt. Cùm ſagæ in quibuſdam locis infantes jam natos matribus & nutricibus ſubducunt & illorum loco bufones & monſtroſa quædam ſupponunt Nam hoc etiam in continua deluſione, qua ſagas & omnes illos, qui potentiam talem ſagis aſſcribunt quorumque credulitatem & animum ita præoccupavit, conſiſtit. Quam credulitatem ut firmet, à deluſione illa ſtatim deſiſtit, quàm primùm virgis tales ſuppoſititii fœtus cæduntur, ſic ut prior infantium forma iterum conſpici poſſit.

IV.

Atque ita judico Diabolum ferè omnia illa efficere quæ omnibus illis hominibus

minibus *Malis* asscribuntur, quos ut altiùs cum credulis aliis decipiat, persuadet eis, hæc fieri per ridiculas quasdam ceremonias aut res, quas in suis artibus exercendis adhibent, uti v. gr. cantilenam, verba quædam barbara & tertiata, initium Evangelii S. Johannis, signa crucis, hostiam, nodos implicitos, congesta ossa, radicem mandragoræ, nescio quid theculæ inclusum quod spiritum familiarem vocant; & similia innumera. Nam hæc potiùs habenda sunt tanquam tot quasi sacramenta & signa præsentiæ Diabolicæ, sic ut dum per illas superstitiones colitur & fœdus cum ipso contractum stabilitur, statim adsit consilio & auxilio illis, qui eum colunt, ut in æternum illos perdat.

V.

Sæpius tamen suis servis medium aliquod naturale dat, quod hæc & illa producit, attamen illi æquè sciunt quomodo hæc operentur, quàm novit rusticus quomodo agat magnes, quem jubetur ferro applicare, videtque statim ferrum versus magnetem rapi; aut si uxori suæ specificum uterinum propinat videtque illam à symptomatibus uterinis liberari. Ita enim venena diversissimarum virium aut alia quæ

na-

naturaliter hæc & illa mira producunt mancipiis ſuis tradit, quæ illi ſolùm applicant. Et quod miraris forſan, Diabolus per tales *malos* ſæpe bonum quid operatur, uti medicamenta dans bona, quibus multi morbi, & præſertim illi, quos arte ſua produxit, tolluntur, quod Diabolus ab incredibili ſua malitia impetrare non poſſe videtur. Ac ita ſane eſt. Nil ipſe commiſerationis habet, ſed 1. tenetur ſæpius à Deo ut proprium ſuum opus deſtruat. 2. Hac ſimulata bonitate menti hominum inſidias ſubtiliſſimas & omnium periculoſiſſimas ſtruit ut ab ipſa credulitatem & confidentiam impetret. Parum enim illi intereſt ſi corpori pro tempore bonum quid faciat, ſi mentem modò æternùm (uti intentat) perdere queat, corporis enim exitium ſequuturum novit. Ipſius autem multum intereſt, ut aliquando bonum aliquod leve producat; veritatem dicat; fidem contractûs ſervet, amicum & angelum bonum &c: ſimulet, ut eo ipſo regnum ſuum magis ſtabiliat. Nunquam enim magis quàm ſub ſpecie veri & boni nocet, nec unquam plus metuendus eſt; unde vulgus dicere ſolet, quòd ſi Diabolus tam niger appareret, uti eſt, nullum ad ſe trahiturum.

VI.

Ut autem ulterius præjudicia nostra deponamus, notari hîc bene potest, quòd, quia Diabolus integram rerum naturam intimè perspectam habet, possit cuidam suorum mancipiorum quædam stupenda Naturæ arcana detegere, etsi non addat causas per quas hæc & illa fiant. Atque ob id talis Diaboli subditus non solum stupenda quædam præstare poterit, sed etiam illi quibus hoc revelabit eadem præstabunt; quo pacto fiet ut, Deo sic volente, tandem hæc arcana ita divulgentur, ut etiam absque conditione illa, qua omnium primus aut etiam primi hanc revelationem suscipere debuerunt, plures ea comperta habeant. Non aliter uti Chymicus v. gr. arcanissima quædam suo servo communicat ea conditione, ut ultra constitutum tempus servitus ejus extendatur, at servus illa aliis rursus communicat absque ulla tali aut quavis alia conditione, quo pacto hi, nec isti servo, nec Domino ejus vel ad minimum tenentur.

VII.

Sic v. gr. posito, quòd olim Diabolus cuidam suorum servorum, ut eum magis obligaret revelârit, lapidem illum, quem nunc magnetem vocamus, miras tales virtutes habere, quibus stupenda

da & excellentissima effici possunt; pœoniæ radicem aut glossopetram contra epilepsiam esse specificum; vitriolum certo modo calcinatum posse vulnera indistans curare, unde famosus ille pulvis sympatheticus exsurgit. Et similia infinita, quorum causæ naturales esse possunt, etsi illas nulla humana mens forsan unquam assequuta est aut assequtur.

VIII.

Si quis ergo tales revelationes à talibus hominibus aliisve absque ulla conditione & cerimonia superstitiosa & specie vanitatis communicatas acceperit, aliisque tradiderit, sic ut hodierni homines ex nuda relatione, etiam publicis typis facta, promiscuè talia cognita habeat, an judicandum homines qui talibus in suum commodum utuntur esse magos aut Diabolo obstrictos? Vereor ne nimis præcipitantes nostrum judicium, graviter peccaremus contra legemd charitatis à Christo latam: *Ne judicate & non judicabimini, ne condemnate & non-damnabimini.* Nam annon summe ridicula esset talis conclusio: *Ego qui scientia rerum naturalium aut nullo modo aut saltem superficiariè tinctus sum, nescio quomodo hæc & illa fiant, Ergo fiunt ex compactu cum Diabolo?* Et consequenter, quia capere non possum quomodo

per magnetem, pœoniam, pulverem sympatheticum, celerrimos manuum vel totius corporis motus, per automata multa artificiosissima &c: & quid ni etiam per omnia ferè medicamenta, per Chymiam, artesque diversas hæc & illa homines faciunt, etsi levissima & alliis optimè perspecta sint, Ergo informatione, ope, consilio & auxilio Diaboli faciunt? Anticyram quidem talis mittendus esset, sed quàm multos haberet itineris socios? Quippe, experientiâ undique conclamante, uti paucissimi hominum sunt, qui nihil Diabolo asscribunt, sic contrà innumeri sunt, qui omnia quæ ob imbecillitatem ingenii sui capere nequiunt, aut Diabolo asscribunt; aut saltem, quæ mysteria naturæ ipsi explicare non possunt, aliorumque ingenia ad sui modum dimetiuntur, nescio ad quæ non supernaturalia, miracula, Dei potentiam extraordinariam, & similia ex infantiæ præjudiciis efficta referant. Quod sane præjudicium priori multò crassius est, & ignorantiam rerum naturalium spissam, & plerumque vilem animum notat. Nam etsi nullus omninò mortalium dicta caperet, tamen nullo modo hæc sequentur, quæ superius notavimus, quia eo ipso dum fiunt, naturaliter

liter fiunt, juxta Exc. I. c. I. §. 12. At unde de compactu cum Diabolo constabit, nisi ex aliis signis? Quæ autem afferri solent plerumque non sunt infallibilia.

IX.

Sed, ut tandem portum (ad quem dudum adspiravimus) intremus, non puto facilé quid in historiis de operibus Diabolicis relatum inveniri, saltem quod verum est, cujus non ex dictis causam aliquam generalem dare possemus, quamvis ad valde particularia nunquam forsan penetrare possimus. Unicè hoc Lectorem obnixé rogare debeo, ne antequam hos rudiores nostros conceptus bene perceperit, immaturum de illis judicium, cum lege charitatis & rationis non conveniens, stringere velit. Interim omnium nostrum erit, ut quò à Diaboli operibus non solùm passivè sed etiam activè (ut cum Scholis loquar) simus liberi, hoc est, ut Diaboli opera nec aliquam nobis noxam inferant, nec nos ejus instrumenta fiamus, quibus voluntatem suam exequatur, imprimis in vera Dei Triuni recta cognitione multum diuq; nos exerceamus, ut in Summi hujus Boni contemplatione nos oblectantes, ejus pulcritudine & luce occupati, illud stupeamus, adoremus laudemus, & totos nos ipsi tradamus.

Tum in naturalium rerum & nostri ipsius accurata magis cognitione, ut omnium, quæ ullo sensu evenire percipimus, causam aliquam naturalem & ordinariam quomodocunque etiam probabilem concipamus, ne omnia spectris & præstigiis asscribamus. Et denique ut illas passiones occasionesque omnes fugiamus, quibus Diabolus nostræ crudelitati laqueos tendit, quibusque innexos ad regnum suum perducere valet. *Quod feliciter ut cuivis succedat faxit PATER ISTE OMNIS LUMINIS & GRATIÆ & ANGELUS ILLE MAGNUS FOEDERIS, & SPIRITUS OMNIS VERITATIS, QUI TESTIFICATUR SPIRITUI NOSTRO NOS ESSE DEI FILIOS. DEUS TRIUNUS & BENEDICTUS, CUI UNICO SIT OMNIS LAUS & GLORIA IN OMNIA SECULA.*

Wittichius in Exercit: de statu humiliationis & exaltat: Christi §. 55. in medio.

Olim Deus concessit Diabolo potestatem in corpus Jobi, hoc excepto, ut parceret vitæ & animæ. At hic Deus videtur omnibus furiis concessisse potestatem illimitatam in ejus animam, quam infestarent omnibus viribus & modis, sciens eam tanto robore armatam, ut posset istas omnes tentationes vincere & superare. Quomodo verò Diabolus animæ Christi dolores intulerit, difficilius est explicare. Quomodo per instrumenta sua, Judæos, milites, Herodem & Pilatum ægrè fecerit corpori, ejus, facile potest intelligi. Etiam interveniente corpore cruciare posse homines, docent exempla tot dæmoniacorum, de quibus in historia Euangelica est mentio, speciatim filiæ Chananeæ mulieris, de quâ Math. xv. mater ipsius ἡ θυγάτηρ μου κακῶς δαιμονίζεται, & Luc. IX. 39. pater dæmoniaci: *Et ecce Spiritus apprehendit eum, & ipse repente clamat & discerpit eum spumantem, & vix abscedit ab eo conterens eum.* Quo etiam facit exemplum Jobi, quem *percussit Satanas*

ulcere

ulcere pessimo à plantâ pedis ejus usque ad verticem ejus. Job. II. 7. An vero Satanas Christi sanctissimam animam immediatè affligere potuerit, dubitari posse videtur.

LVI. Sed id, quod Eph. II. 2. dicitur, *principem potestatis aëris operari in filiis inobedientiæ*, docet nos, diabolum in gentibus non conversis ad Deum efficacem esse in excitandis & fovendis concupiscentiis carnis v. 3. Quodque dicitur Johan. XIII. 2. *diabolum injecisse in cor Judæ Simonis Iscariotæ, ut ipsum proderet*, aliaque similia satis evincunt, etiam à Deo concedi Diabolo in hominum animas potestatem. Sive autem id mediatè fieri dicas, interveniente phantasiâ, sive immediatè, res mihi semper eodem redire videtur. Quantum enim attinet ad realitatem quamcunque, eam à Deo solo dependere & effici cum omnibus Theologis statuimus. Quando tamen Deo placet uti creaturarum interventu, & certo cuidam ordini se alligare, ut non nisi hoc prius facto efficiat posterius, v. gr. ut morbos hos vel illos curet non nisi intervenientibus certis quibusdam medicamentis, & quæ similia sunt, rectè dicuntur illa, quæ sic interveniunt,

causæ

causæ secundæ. Jam vero, etiam Diabolo in quibusdam Deum uti, tanquam causâ secundâ, in prioribus visum fuit, quod tamen eo semper peragitur modo à divinâ providentiâ, ut culpa omnis ad diabolum & homines redundet, Deus verò nullius mali turpis aut criminis exin queat accusari.

LVII. Nihil verò repugnat, supposito quòd Deus uti Diabolo in homine vel affligendo vel etiam ad peccatum incitando velit (quo exemplum Davidis facit, confer 2 Sam. XXIX. cum I Chron. XXI. I.) ut immediatè ei concedat potestatem in animam sine interveniente phantasiâ certoque motu spirituum, cùm id æque facilè queat concipi, ac si operationem certam ejus in certas corporis partes supponas. Cum enim in diabolo, mero spiritu, sive merâ mente, à commercio corporis liberâ, nihil aliud possit concipi, præter intellectum & voluntatem, cui posteriori soli actiones adscrîbere convenit, non difficilius erit repræsentare animo, quomodo, posita ejus voluntate hoc vel illud efficiendi in hominis mente, id in istâ mente sequi possit, sola hac voluntate posita, ac quomodo, eadem ista voluntate posita, sequatur talis motus spirituum in hominis corpore,

pore, post quem talis in anima sequatur cogitatio. Non enim major est ex natura rei connexio hujus quam illius cum altero. Quin imo difficilius aliquanto videtur intelligere, quomodo positâ tali voluntate diaboli sequatur talis motus in corpore, & posito tali motu in corpore hominis sequatur talis in eodem cogitatio, quàm quomodo posita tali Satanæ voluntate, sequatur talis in homine cogitatio.

LVIII. Quibus præmissis non difficile erit cogitare, quomodo fieri potuerit, ut Diabolus immediatè animam Christi cruciaret & torqueret Modum tamen specialem determinare non præsumimus, dum hoc expendendum relinquimus &c: *Reliqua h. l. legesis in ipsa Exercit: Wittichiana.*

F I N I S.

